


*Museum-
Rowley.
Salutationes
Joannis III.
Lamiae
1678.*



SALVTATIONES

SERENISSIMI & INVICTISSIMI

PRINCIPIS

IOANNIS III.

Dei Gratiâ

REGIS POLONIÆ.

MAGNI DUCIS LITHVANIÆ,

Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kijouiæ,
Volhyniæ, Podoliæ, Podlachæ, Liuoniæ,
Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæq̃.

Nomine Ordinum & Nationum

URBIS LEOPOLIENSIS.

MATHIA KVCZANKOWICZ, Vtriusque Iuris
Doctore, S. R. M. Secretario, Consule Leopoli:

Inter maximos memorandæ Victoriæ, &
proclamatæ in Terris Pacis Applausus

HABITÆ, & PERVVLGATÆ.

Anno pacati à CHRISTO Orbis. M. DC. LXX. VIII.

ZAMOSCI. Typis Academicis.

IN FASCIAM
 EXCELLENTISSIMI, & ILLUSTRISSIMI DOMINI
 MARCHIONIS de BETHVNES.



FASCIA Summorum quondam fastigia REGVM
 Cinxerat, Augusta Frontis in Orbe decus;
 Nunc animos, & corda ligat; non Fascia tantum,
 Aurea, sed Magni facta Catena THRONI.
 FASCIA nimirum veniens de Sanguine REGVM,
 Iure Coronati vincula Cordis habet.



3127

EXCELLENTISSIMO & ILLUSTRISSIMO
DOMINO.

D. FRANCISCO
MARCHIONI DE BETHVNES
EQVITI REGIORVM ORDINVM.

ET

CHRISTIANISSIMI REGIS

apud

SERENISSIMVM & POTENTISSIMVM.

IOANNEM III.
REGEM POLONIÆ

MAGNVM DUCEM LITHVANIÆ &c. &c. &c.

ORATORI EXTRAORDINARIO

Domino Colendissimo.

Imparem viribus, ac meritis, sed argumento Ope-
ris debitam atq; conuenientem sumo fiduciam,
dum breues hasce Paginas, non tam eruditæ facun-
diæ, quàm pietatis in SERENISSIMVM PRIN-
CIPEM Meum, LECHIÆ Vnicum SERVATO-
REM plenissimas, penetralibus TVIS sacrare, & aduersus
liuorem sæculi, atq; ingeniorum venena, firmissimum No-
minis TVI Munimen aduocare institui, EXCELLENTIS-
SIME ORATOR, Alium sanè tantæ laudationis Testem

audnoim

) (2

assumere

EXC
assumere, nec debui, quam, qui REGVM SVMMI Me-
tem & Oracula, in Maxima SEPTEMTRIONIS REGIA,
apud Similem Sui, loqueris: nec potui, cum TV primus
trepido atque cunctanti occurreres, ingens vbiq; & pla-
cida Luminum Maestate verendus simul & amabilis, Ioui
Altitonanti Similis ea specie ac vultu, quo Coelum tempe-
stateq; feremat. Ita profectò est: ab omnis æui REGNA-
TORE MAXIMO, qui non reliquos modò PRINCIPES,
TERRARVM DOMINOS, quos Spectatores magis habet,
quàm æmulos, animi Magnitudine vincit, sed seipsum, ad
vnici exempli Regem, qui Martij Pectoris ac indomiti ro-
boris oppositu, reliquum Orbem à portentosa Byzantini
Tyranni potentia & barbaro furore defendit, mittendus
erat, non de multis vnus, sed plurimorum instar, nec vnâ
laude, nec simplici cumulatissimè resplendens, in quo
omne Gratiarum decus Natura consumpsit. Grande enim
quiddam atq; inæstimabile DOMVI BETHVNIAE Superi
dedere: quidquid pace belloq; eximium habetur, sinu
suo complecti; vtriusq; laudibus ex æquo censer; Sceptra,
Fasces, Curules, Regia Bulgariae Insignia GENTI VE-
STRÆ transcripta, ad veram virtutis prædicationem in
Orbis Theatrum producere; inde REGVM fortunam ani-
mo æquare, & splendore ac Magnificentiâ stispem asserere;
vnâ eademq; operâ VATICANVM Ostrum, ac Regiam
Dibapham, Purpuratosq; ATAVOS numerare: non per
ARTESIAM modò atq; FLANDRIAM, Supremo Iure
PRINCIPATVM, tot retro sæculis agitasse: sed summis
Legationibus in animos Mortalium, atq; adeo in populos,
seruitij expertes dominari, vetustate Originis, rerum gesta-
rum fulgore, ac tot virorum omni laudè præstantium pro-
uentu, nulli Genti concedere. Vt Sacros Suâ vetustate
FASTOS non euoluam? en rapiet attonitum stupentemq;
calamum: omni laudè & sæculo Maior GUIDO de BE-
THVNIA Primus COMES FLANDRIÆ, qui derivata

a Maioribus

FAS

Nun

FA

a Maioribus
auxilio
Dextera
delebit
non p
emine
ricis c
& vin
pristin
merui
uineta
coron
gustos
gratar
BETH
SVLI
Hono
dent
mine,
CVM
obtin
SVM
Militi
berati
ca, ra
bene
ingen
DVC
cula
am nu
SIMV
PARE
Magn
BIS, &
imo

Maiores GENTIS Suae decora, ampliori luce ornauit
auxitq; in immensum, cuius grandia Heroicæ Mentis &
Dexteræ Opera, nulla ex Æternitatis Albo dispunget, aut
delebit obliuio. Cuius porro acutissimam quamuis aciem
non perstringat percussatq; SERENISSIMI CONONIS
eminens supra Heroum Mensuram meritum? qui barba-
ricis collucens Trophæis, Saracenorum cladibus innumeris,
& vindicatâ toties Re Christianâ, atq; à sædo exitio in
pristinam dignitatem assertâ, Nobilis TRIVMPHATOR,
meruit, ut decoram bellicis sudoribus frontem, & re-
uineta Lauro tempora, Regali BVLGARIÆ Diademate
coronaret, audiretq; faustas plaudentis Populi voces, Au-
gustos Sibi Titulos, ROMANIQUE FASCES IMPERII
gratanter destinantis. Quis Augusto MAXIMILIANI de
BETHVNES, MARCHIONIS de ROSIV, DVCIS de
SVLLY Nomini adorabundus non assurgat? Viri? cuius
Honorum paginâ ANNALES Gallici plenius resplen-
dent? quem toties inducâ Penatibus Trabea, rerum cul-
mine, quod apud Magnum GALLIÆ REGEM HENRI-
CVM IV. summis belli, ac pacis muneribus functus,
obtinuit, dignum ostendit: Cui post illum Imperitantium
SVMMVM nemo par erat aut secundus. Qui Summus
Militiæ & Ærarij in GALLIA PRÆFECTVS, Regiæ Li-
beralitatæ ac Fortunæ in alios Administer, inter tot lubri-
ca, raram integritatis ac innocentia Laudem, ac tandem
bene gestæ rei Summum pretium, à Summo virtutis ac
ingeniorum Muncratore MARCHIONATVM de ROSIV,
DVCATVMque de SVLLY promeritus, victurum in sæ-
cula NOMEN extendit. Viuit in ore famæ, volitatq; eti-
am nunc per animos atq; grata pectora EXCELLENTIS-
SIMVS MAXIMILIANVS AVVS & HIPPOLYTVS
PARENS TVVS, Gallicæ Maiestatis Magna Pars: Vterque
Magno LEGATI Munere, Ille Supremo PASTORI OR-
BIS & PATRI, in illo Generis Humani Conuentu, Re-
gumq;

gumq; altero confellu: Hic Supremus **GALLIARVM**
MARSCHALCVS Summis alibi **EVROPE** Capitibus &
Principum Flori, incomparabili Magnificentia ac innatae
facundiae laude, approbatus; aucto in immensum **DO-**
MVS VESTRAE fulgore, cui noua exinde **REGI ORDI-**
NIS accessit dignatio, Equestris Apex & Honorum, pri-
mis proxima Insignia, magnifici in pace triumpho. Viuunt
hodie, qui **GALLICVM** Caelum atq; adeo Saeculum, No-
strum exornant, Sex e **DOMO TUA DVCES & PARES**
FRANCIAE, **DVCES** nimirum de **BETHVNES**; **DV-**
CES de **SVLLY**, **DVCES** de **ORVAL**, **DVCES** de
CHAROT, quos Sacrata Gestis **FAMA** loquitur; quorum
Nomina, adamantino pollice Aeternitati insculpta nil atti-
net percellere, & culpa ingenij minora facere. **T V** mihi
linguam Solus calamumq; vellicas, **T V** pauperem ingenij
venam sollicitas, ditibus olim & facundiae immodicis Scri-
ptoribus, magnas implete Paginas, **ILLVSTRISSE**
ac **EXCELLENTISSE** **ORATOR**; tot **HEROVM**,
tot **PROCERVVM** Verus certusque Sanguis, inter maiores
quoq; **GALLIAE** Ignis Sydus Clarissimum; & **SERENIS-**
SIMIS SPLENDORIBVS, quos **SARMATIA** adorat,
merito sane atque conuenienter innexum. Imples ex
aequo tantae **LEGATIONIS** ingens Nomen & Munus,
omnium oculos ac mentes admiratione, ac quodam Sacro
horrore defixas perfundens, insitum Naturam de mortalibus
bene merendi studium, promptam ubiq; beneficentiam, expli-
cans: Alijs viuum ex **TE**, in quo seipfos agnoscant, pro-
batissimarum virtutum speculum, exemplum alijs, ad quod
se componant, his incitamentum; illis amorem & cordis
delicias; flagrantissimam apud **PRINCIPEM**, atq; omnes
REGNI ORDINES, Gratiam, & pari veneratione. Neque
TIBI vilis aut ad speciem tantum Literarum aestimatio est;
altitudine animi & Consiliorum praestantiam cum paucis
comparandus, viuida facundiam, & Orationis iuxta ac vitam
Comi-

Comitate, pollentis iudicij robore, eminenti prudentiâ,
demulcendorum PRINCIPVM ac dulcibus Catenis Vini-
ciendorum, arte, Soli GALLICO HERCVLI Secundus.
Vltro itaq; exorandus mihi venis, quo TE religioſe coli
permittas; vt inter eruditi Otij diuerticula, & amœna cu-
rarum lenimenta, admittas hos tenues ingenij fetus, quo-
rum aliquibus, aurem Mentemq; beneuolam Magnus
AUDITOR & HOS P E S commodaueras: quos TIBI
nunc fouendos produco, vt eodem momento à TE vi-
tam & Claritudinem accipiant. Fauebis EXCELLEN-
TISSIME & ILLVSTRIS SIME MARCHIO, & prolixè
annues Laudationibus istis SERENISSIMI REGIS Noſtri,
omnem Laudem ſupergreſſi, nec exiguam Decoris TVI
Portionem æſtimabis; inter Victrices OLEAM TIBI
ſerpere LAVROS,

Excellentiſſimæ & Illuſtriſſimæ

CELSITVDINIS TVÆ

Clieus deditiſſimus

Mathias Kuczankowicz Vtriuſque Iuris Doctor
Regiæ Maieltatis Secretarius
Conſul Urbis Leopolienſis.

Comitate pollentis iudicii robore, eminenti prudentia
 deinceps PRINCIPVM ac ducibus Carinis Vir-
 tibus, ac soli GALLICO HERCVLI secundus
 Viro regi; exornatus inuicem, quo TE religiose col-
 perant, ut inter cetera, Cui dicitur, & amans cu-
 ram tenentem, admittas, hos tenus ingenuitate, quo-
 rum aliquid, auctus Mentem, peragatam Magna
 AVDITOR & HOSPES commodat: quos TIBI
 nunc foveas produco, ut eodem momento a TE vi-
 tam & Claritatem accipias. Faudis EXCELLEN-
 TISSIME & ILVSTRISIME MARCHIO, & prolixo
 annuo, Laudationibus in SERENISSIMI REGIS Nostrae
 omnem laudem superasti, nec exiguum Decore TVI
 Fortium estimas; inter Victores OLEAM TIBI
 serbere LAVROS.

Excellentissime & Illustrissime
 Cellariorum VNA

Clientis devotissimus
 Mathias Kucenkovics Vniuersus Iuris Doctor
 Regis Maiestatis Secretarius
 Consul Vrbis Leopoldinae

I
 M
 PO
 P
 didi
 I M
 conf
 rop



SALVTATIO PRIMA
SERENISSIMI
IOANNIS III.
REGIS POLONIÆ.
Magni Ducis Lithuanix &c. &c. &c.

Cum Anno Domini 1673.

Die 16. Mensis Decembris.

POST VICTORIAM CHOTINENSEM SV-
PREMVS REGNI MARSCHALCVS, &
EXERCITVVM DVX, LEOPOLIM
REDIISSET.



Vo olim honore, Roma Genti-
um Domina, Marcum Antonium victorem
prosecuta est; qui, vt primus Leonibus in-
uectus triumpharet; generosos Leonum Spi-
ritus frena pati posse doctos, primùm sub-
didit, & Currui iunxit Triumphali; eo Te nunc, MAGNE
IMPERATOR, Chotinensibus Manubijs onustum,
confectoque maximo Bello feliciter Reducem, LEO Me-
tropoleos Russix, fidus, & peruigil Excubitor, Venerando

A

Culcu

Cultu Nostro excipit Triumphantem. Non feiuges ille;
brutasque Currui Tuo Feras, aut indomitos iungit Leones;
sed pronos Honori Tuo, & in omne gaudij genus effusos,
quotquot sumus V R B I S huius Ciues, & Incolas, ceu
genuinos Leonis Catulos, in occursum Tuum educit, vt
quam maximo publicæ lætitiæ apparatus, sensuque à Nobis
exceptus; per hæc ipsa supposita V I C T O R I T I B I,
animorum Nostrorum brachia, dilectum hoc Magnanimi
Leonis Cubile introëas. Nec verò aliud in Te Salutando
Orationis genus promimus; quam illud, quo à volueribus
olim humanas voces imitari doctis, Maximos Triumphan-
tium, Salutatos Roma audiit; cum articulaté, & energicè
proferrent, S A L V E I M P E R A T O R; quibus Nos
Summo Tuo merito addimus, Salue V I C T O R, Salue
T R I V M P H A T O R, Salue Thracum, & Orientis totius
Terror, Tauricæ fulmen; Cosacorum Rebellium Debellator.
Salue pietate, fortitudine, Sapientiâ, Magnitudine animi,
& rerum gestarum felicitate D V X incomparabilis; qui
Gentilitio S C V T O T V O, Coronam Regni Viduam pro-
texisti; & quod ex Horoscopo Genesis Tuæ, Astrorum pe-
ritissimis adhuc in flore ætatis Tuæ patuit, non semel ab
ultimo discrimine, propriæ salutis periculo conseruâsti. Ac
vt hic bellis quam plurimis immortalia Gesta TVA, transa-
ctumque cum Immortalibus Scytharum Copijs, ingens ad
Podhayce Opus, haud commemorem, superiori Anno, cum
modica Veteranorum Manu, Antemurale Patriæ factus;
Hostem numero, & lætis successibus tumentem; dum ex
visceribus Regni, quo se vastis agminibus infuderat, ingenti
prædâ onustus reuertitur; maximâ virtute, strageque ad in-
terneccionem fudisti; opimaque spolia ferens, Christiani
populi Captiuorum tot Millia, ex ipsis Tauricæ faucibus
eliberâsti. Nuperrimè verò, optimis auspicijs, Solemnes D I -
V I M A R T I N I F E R I A S in Hostico agens, Castra
Turcarum, naturâ loci, & arte munita, apparatuque bel-
lico

lico instructissima, ausu planè vix audito fortissimè aggressus, DEO EXERCITVVM DVCE, expugnâsti; floremquè Militiæ, ac immanis potentiæ robur profligâsti, & deleuisti. Quinquaginta totis, & ampliùs à Clade Cecorensi Annis, Nobiles Polonæ Militiæ Manes, iustam è Cælo Nemesim poscentes, valido Superos vrgebant clamore.

Exoriare aliquis, nostris ex ossibus vltor.

Excitauit DEVS, EXERCITVVM DOMINVS, fortem, inuictum, felicem TE Belli Imperatorem; qui Sanguinem Fratrum TVORVM, & Magni olim PROAVI TVI STANISLAI ZOLKIEWSKI CANCELLARII, & EXERCITVVM REGNI DVCIS SVPREMI, pro Fide Orthodoxa, pro Aris, & Focis, pro Salute, & integritate Patriæ, summâ virtute profusum; Os de Ossibus, & Caro de Carne, MAGNVS PRONEPOS eius vindicâsti: contemptuiq; habitam immortalem operam CELSISSIMI olim PATRIS TVI, IACOBI SOBIESKI, CASTELLANI CRACOVIENSIS, in pactis inter vtramquè Gentem Fœderibus, nunc per summum scelus violatis, satis superquè vltus es; Othomannici Exercitûs ad Chotinum tanto sanguine, tantoq; Cæforum numero; quantus à Mucrone Polono cecidisse, per omnem retro ætatem, Res Nostras euoluentibus, haud vnquam obseruatus est. Gratulamur proinde Virtuti, & Felicitati TVÆ, concessum benedictione DIVINA, tam insignis victoriæ Decus, omnes, quotquot primariam hanc; Leonis Roxolani incolimus VRBEM; cruentosq; sudores, & belli curas ingentes profundè venerati, virentem pro ijs, gratitudinis nostræ, VICTORI, & TRIUMPHATORI TIBI, deferimus Palmam, Auitoq; SCV-

TO TVO, adamantino pollice, tale incidimus LEMMA:
Semper HONOS, Nomenq; Tuum,
Laudesq; manebunt.

Fama verò etiam post Fata superstes, ituris in omne ævum
Heroicis operibus Tuis, immortales destinat Laurus.
Iam igitur ingredi VRBEM hanc, omine quàm felicissi-
mo, ILLVSTRISIME MARSCHALCE &
EXERCITVVM REGNI DVX SVPREME,
Triumphale Roxolanarum Gentium Caput, & Corona.
Ingredere Urbem hanc Bellatorum Sarmatiæ, DVCVMQ;
fortissime, prudentissime, felicissime, per altas gestientis po-
puli voces, plausus, Vota, Panegyres; ac vt communi
omnium sensu, & voto loquar; Intende, prospere procede,
& regna, ^{Nobisq; impera,} prælijs gloriosus, bello inuictus. Det vtinam altissi-
ma illa Cœlorum Maiestas, per quam Reges regnant, aure-
am illam orbatae Patriæ horam; vt Gentilitio SCVTO
TVO ab omni discrimine protecti, & alto pacis quasi con-
tincinio quiescentes, inter decretas, Supremo rerum Authori,
ob felicissimam ELECTIONEM, Gratias, in publi-
cos lætitiæ plausus effundamur.

Vt Scuto bonæ voluntatis, protexisti Nos,
coronasti Nos.



gino
Sacri

20m

SALVTATIO SECVND
EIVSDEM SERENISSIMI

REGIS.
ET SERENISSIMÆ
REGINÆ MARIÆ
CASIMIRÆ.

Cùm Anno Domini 1676,

Post Expeditionem ZORAVNENSEM, LEOPOLIM
SERENISSIMÆ SVÆ MAIESTATES,
Mense Decembri aduenissent.

Dei Gratiâ, REX Inuictè, Serenissime
DOMINE.



HOC REGIÆ MAIESTATIS Titulo; Orbis
quidem Vniuersi Gloriâ digno, sed Hostibus
formidando; post tot sæuissima Bellorum,
exhaustosq; immensi planè operis labores, sal-
uam, & incolumem, atque ab Annis Tri-
ginta expectatæ Pacis, desideratissima solatia ferentem, ex
Sacro Bello Reducem Maiestatem TVAM excipit, & salu-

tat Leopoldis, V R B S erga Reges Suos, Fidei semper illi-
bata. Titulorum apud varias Gentes, Regnaq; , quibus
Principes, & Monarchas suos dignantur, plurima diuersitas,
Augustam eorum Maiestatem variè discernit, & condecorat.
Cæsares Romanos, semper Augustos Imperium habet: Gal-
lia Christianissimos; Hispania Catholicos; Anglia quanquam
iniusto prætextu, Fidei Defensores Reges suos indigitat. At
verò Polonia Nostra, quanquam multis Principes suos ex
Maiestatis prærogatiuâ Titulis ornâset; primo tamen Bello
ad Chotinum, Vniuersæ Christianitati formidando, contra
Othomannos gloriôsè perfuncta, ac omnino infracta; no-
uum Regibus suis, Inuicti Titulum, apud Sanctam Sedem
Apostolicam promeruit. Vicarius quippe Christi, penes
quem, & Ecclesiæ, & Regalium Titulorum Summa potestas
est, GREGORIUS XV. Pontifex Maximus, Diuo Sigi-
smundo Tertio Regis Inuicti Titulum, summo honore è
Vaticano fastigio detulit. VRBANVS verò VIII. eius
Nominis PAPA, incomparabilem gloriam, & felicitatem,
Victorias, & Triumphos Diui VLADISLAI IV. Poloniæ
tum Principis summe æstimans; cum eum Romam è Belgio
honorificè inuitaret, gloriosissimo eum Titulo Decus Se-
ptemtrionis, Fidei Præsidium appellauit. Sublimi hoc, ac
verè Augusto, Regis Inuicti Titulo, quanquam veteri Polo-
niæ Modestæ sensu, Regnum hoc abstinuit; Fauentes nihi-
lominus Orbi Polono Superi, arcanâ quadam destinatio-
ne, TIBI illum Magni nominis Monarchæ IOANNI III.
REGI Inuicto, vel ideò seruâsse videntur; vt Regni huius
Fortuna, quam infra dignitatis gradum, ingentium calami-
tatum pondus deiecerat; per T E, Ô REX INVICTE! in
Orbis facie, summâ gloriâ emereret. Quantumuis enim
vestigari haud facilia in suis Revolutionibus Fata, totas sæpè
Hostium vires, & quasi coniurati Orbis potentiam, ad emo-
uendum funditis Regnum hoc, ab ipsis eius primordijs im-
pulissent; semper tamen Dominus Exercituum, Cordatissi-

mos Polonorum animos, eâ virtute armavit; vt potentissimos, Hostium, maximis prælijs victos, in Triumphum duxerint; cruentisq; eorum cladibus ad fastidium vsq; maduerint; & multitudine Captiuorum, quibus nec compedes, nec ergastula suffecerant, Vniuersam Poloniam impleuerint. Æuum hîc antiquius non euoluo; nec Victorias, & Triumphos, ex omni genere Hostium Polonâ virtute relatos commemoro; Pomerana, Prussica, Theutonica, Dacica, Moldauiica Trophæa, non computo: Immortali gloriæ suæ ad Byzynam, Kircholmum, Smolenscum, Telefinum, Triumphalia Opera relinquo: recenti dolore hiantia adhuc Patriæ vulnera, Corsunensia nimirum, Pilauecensia, Zamoscana, Zbarazensia, Zborouiensia, Beresteecensia, Camenecensia, Transborystenica, Dacica, Suecica, Pannonica, Moschouitica, Scythica, Turcica Bella, & Arma, Hostibus intra Patriæ viscera admissis & sæpè Victoribus; Bellicosam Polonam Gentem, & Principes eius Reges Inuictos, ad Orbis inuidiam extulerunt. Præcipuè tamen ad Podhayce, in vltiori Russia, in Scythica, & contra Othomannos ad Chotinum maximâ Belli occasione, summa in TE Virtus Bellica, scientia rei Militaris, armorum gloria, & felicitas enituit: cum Gestis TVIS immortalibus, Orienti, Occidenti q; probâsses; quàm Poloni, & eorum Inuicti Monarchæ, frangi, vinci q; nesciant. Quanquam enim Potentissimus Orientis Imperator, ac vt verbis GREGORII XV. Pontificis Maximi vtar, Draco ille sæuissimus, Regnorum cadaueribus, & sanguinibus Orientali

quæ imparibus Exercitûs TVI viribus, validissimas Turcarum Copias; quæ locum naturâ, vallo, fossisq; & imminenti Castello munitissimum, Castris in immensum, productis infederant; supra omnem experientiæ Bellicæ spem, & modum; non inter Impedimenta, nec in saltu Caudino; sed aperto Marte, & in ore gladij expugnâsti; tantoque Hostium numero, partim cæso, partim capto, spolijs & Castris ingentibus potitus, Trophæa in ijs DEO VICTORI erexisti. Augustam hanc virtutem, & fortunam TVAM, biennium est, vt experimento SVO didicit, immani potentiaë confusus, acer, & Christiani sanguinis sitientissimus Turcarum Imperator. Quamuis enim ex ijs, quas iam olim Bello- rum voragine hausit tribus Orbis partibus, excitam sedibus suis, vniuersam prope Barbariem, Regionibus Nostris infudisset; Gentiumq; ferocissimis citeriorem Russiam, & Podoliam impleuisset; prudentissimo nihilominus Consilio TVO, Ô REX, quod in ordinandis Regni Copijs enituerat; cum Legiones Nostræ Superioribus Bellis attritaë, & exhaustæ, è Hybèrnis suis tempestiuè adesse non potuissent; Armorum Suorum nunc in Dacia à Sniatino; nunc versùs Camenecû, à Tarnopole; nunc in vltiori Russia, à Labun, & Międzyboze, diuersione factâ, metuq; interiecto, tantus ille Orientis Helluo, longiùs à Tyra, vltra Humanium non processit; Columnasq; Fortunæ suæ, in hac tristissima Cosacica ruinaë fauilla ponere satis habuit. Manus quoq; victas dedit Felicitati TVÆ, Vsseim Morawski Scytharum Lithuaniaë, qui in partes Turcarum, transierant, Ductor; concessitq; in manus TVAS, vnâ cum Oppido & Arce Barensi valida, cui cum Præfidiarijs suis præfuerat. Ad Inuicti Nominis TVI Gloriam, Hohol Cosacica Militiaë Tribunus, cum Legionè Braclauensi; & Podoliaë, in obsequium venit. Vetus Militiaë, parereq; nemini suctus, Zaporouiensium Cosacorum Præfectus Sierko, minax ille, & continuus Scythiaë Timor, cum Trans-Boristenicis copijs, ad recognoscendum

TE Principem suum, ab Ostijs Borysthenis processit. Caesi
Rascouiae, Curis & Auspicijs TVIS, Turcarum Praesidia-
rij, Cohortesq; Nostrae eo inductae. Crimenses & Nahaien-
ses Scythae, ex vltiori Russia, forti dexterâ pulsi. Oppida,
& Arces vltioris Russiae, ad Bohum, & Tyram Flumina
sitae, ex manu Hostium receptae, & Regni Praesidijs firmatae.
Patrimonium Reipublicae Vltioris Russiae, pro qua paranda,
retinendaq;, immensarum opum tantam vim, tantumque
Nobilissimi Sanguinis fudimus; admirabili curâ, virtute,
constantia, & fortitudine TVA, in obsequio Reipublicae re-
tenta; & licet non tota; in excidium nihilominus Macho-
metani Domini, tollendumq; externi Principis iugum, se-
riò animata, & exulcerata, iuxta Arcanum illud, quo rerum
Politicarum peritissimi norunt, quam expediat, & quantum
interfit: In virtute Beelzebub eijcere Dæmonia. Ab eodem
virtutis, prudentiae felicitatisq; TVÆ Genio, Terror ille
venit; qui Anno superiori, Turcarum, Scytharumq; nume-
rosos, perculit Exercitus; cum quibus ferus ille, feroxq; Im-
braim Passa, Tauricano Principi iunctus; dum in imbellem
Turbam sæpe ex improviso defæuit; dum inermes, glebæq;
adscriptos, in Barbaram Captiuitatem abducit; dum Arces,
& Castella, quibus contra tantum discrimen, ægrè prouisum
fuerat, demolitur, & solo æquat; iusto decernere TECVM
prælio, & in aciem descendere haud vnquam ausus est; quin-
imo vix Legionibus, Castrisque TVIS, aliquot trepidis ve-
litationibus illatus, fædèque pulsus; elegit potius vitâ inco-
lumi, Finibus Regni TVI, inglorius excedere; quam Fortu-
nae TVÆ vim, & Exercitus Poloni virtutem, dubio Marte
experiri. Res porrò maximi negotij, Bellique formidandi;
in quo Te Annus hîc Atlantem Patriæ fortissimum reddidit;
an non ingentis animi, summæ prudentiae, & cordatissimi
Pectoris TVI, illustre omni æuo præbuit documentum?
an non Polonæ Militiæ Decus, roburq; Inuictum, Orbi spe-
ctatissimum fecit? Ducenta Millia armis, virisque & tor-

mentis bellicis instructissimi Exercitus, Saytan Imbraim Paf-
sa Martis Othomannici Dux Supremus, cum Selimo Giercij
Thauricano Scytharum Principe, Regionibus Nostris, quæ
Tyræ Flumini adiacent, infuderat; Copias haud infra Xer-
xis numerosissimos olim Exercitus æstimandas; eâ animi
destinatione, vt in Penetralia Regni TVI, ab hac parte alti-
us irrumperet; obuia quæq; ferro, & igne depopularetur;
ac velut vno hiatu omnia absorberet. Atrox id omninoq;
horrendum, vbi latè percrebuit; fueratque quod iustè omnes
percelleret, ad tantam inundationem Gentium; quarum iu-
rati, & inexplebilis animi, ad excidium Nominis Poloni, ar-
dore maximo ferebantur. Multorum consilia fuere, eorum
potissimum, quos ob continua Bellorum pericula, animus iâ
defecerat; tantam armorum hostiliam vim quam longissimè
declinare. Alios metus inceserat, ne profectiois TVÆ Re-
giæ contra Hostem tanta pernicitas, in Reipublicæ perniciè
vergeret; verius ne fieret violentia quædam impellentium
Fatorum, quæ passim trahunt, vt præcipitent. Pleriq; fune-
sta ominati, prout in dubijs pessimus est Augur Timor, indo-
lebant TIBI Principi, ad Sacrum hoc Bellum profecto, ea-
demque propè, quæ olim VRBANVS IV. Pontifex Maxi-
mus Conradino, Neapolim contra Carolum Cæsarem pro-
ficiscenti dixisse legitur, memorabant; Innocens hæc victi-
ma ad Aras ducitur. Reliquis pro suo cuiusq; Genio, varia
animo obuersabantur. Et erant quos pericula Fratrum, aut
Propinquorum proprijs stimulis incenderent. Prorsusque o-
mnes diuturnis Bellis exhausti, consumptique, tuta disere-
bant, & præsentia, quam vetera, & periculosa malebant.
Consilijs huiusmodi in diuersa, animisq; distractis centum
nihil decerni potuit: processissentq; in immensum meditame-
ta hæc ambiguè differentium, audientium, timentiumque,
donec labantes consilio Patres firmaret Author; nisi TV
REX Magne, REX Inuicte, dubijs finem consilijs, animi TVI
Magnitudine incomparabili fecisses; vitam & salutem TV-
AM

A M cum Heroum fortissimis Bono Publico deuouens; neglectisque tutiora suadentium timidis dissuasionibus, suspirijs; & frustra gementibus verbis; Copias & Inuictum Perctus illicò in Hostem mouens; eeu illud augustà mente uolueres, quod Poëta cecinit.

Occurritque suo libens

Fato, nec queritur mori;

Rex est, qui metuit nihil.

Tanto animi ardore, iuisti obuiam Potentissimo Hosti; utque primùm TIBI, cum Exercitu TVO in conspectum eius venire licuit; acerrimo confestim cum Machometanis Gentibus congressu, stragem in ijs, dimicatione primà haud exiguam, ad Woymlouum prosperè fecisti: ob quam Musulmanæ acies exacerbatae, tantoque acrius exardescentes, maximo rem prælio, & validissimis aggressionibus urgere destinârunt. Continud quippè Tauricæ Princeps, cum numerosissimis Scytharum copijs, Castris se TVIS propiùs admouit. Imbraim quoque Saytan, cum alijs primoribus Turcarum, Exercitum longè maiorem quàm ex literis constabat, formidandâ acie Legionibus TVIS opposuit. Cumque centena & amplius tormenta bellica, in stationes TVAS direxisset; munitionibus ad id, opere militari, vineisq; excitatis, grandine igneâ, tonitruisq; maximis, in Castra, & Exercitus TVOS detonuit. Mugiebant continuò ingentes machinæ, cumque ex ijs tonare non cessaret, verè Sathanas Passa: Deus Christianorum, horrenda illa missilia, Fidelibus suis innoxia fecit. Traiecère fluuium quoq; Suiecam hostiles copiae; Tauricæque Principis Filius, vicinis prope Tartarorum milibus eò traductis, id egit; ut non à fronte tantum, sed à tergo quoq; Legiones TVÆ impeterentur. Cœlesti nihilominus suffragio, & incredibili TVORVM virtute, sæpius exindè submotus Hostis; dum id toties frustra conatur, contra fortiter dimicantes, haud præualens reiectus est. Quo viso Othomannicæ acies in stuporem actæ; dum id altius mente

reuoluunt; quam strenuè, modica TVORVM Manus, ingentibus Scytharum Copijs vndiq; cincta, & ad angustias redacta, Rem gereret; & quam inuicto animo confertissimis resisteret; attonitæ dixere, & eousquè ingeminare non desistunt, quòd olim Pyrrhus devictis Romanis protulit: Non vt alijs Gentibus inest, sed verè cum iacenti Polono luctam esse, magisq; tunc metuendum. Ea quippe fuit Exercitui TVO, in summo rerum discrimine, animorum vis; ea in rebus fortiter gestis dexteritas, infractaq; Constantia, quamuis iniquo satis loco constiterit; vt illi fuerit necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria. Tu verò vt Maiestatis, ita & Mentis Augustæ, REX, vnà cum supremis vtriusq; Gentis militiæ Ducibus; per complures licèt dies graui velut obsidione arctatus; præferebas eundem per seria, per iocos animum; Orbiq; in re tam ancipiti probasti; Fortes & strenuos viros, etiam contra Fortunam insistere: perpetuisque Tuis vigilijs, inexhaustâ curarum serie; mirèq; attento ad omnia, prudenti, Diuinoq; planè animo; multa quæ naturâ impedita erant, consilio expediebas. Verbo dicam Regali Capite TVO, & exiguis Copiarum viribus, Fata Ciuium Gentis TVÆ complexus, par oneri tanto Hercules sustinebas. Indignatus proinde Rebus suis, versusq; in rabiem Hostis, continuis diebus tredecem, aliquot millia globorū, ex ingentibus Machinis Bellicis; insuper & aliquot Centena ignitarum, molisq; inusitatae glandium, in Castra Polona eiaculatus; postquam densissimo tormentorum fulmine, sulphuratissq; iaculis, Castrorum intima lacerasset; exploratis sæpius, aperto quoq; Marte fortissimis TVORVM animis; Munitionibus, vallorumquè Cortinis, fossisque ad vnus fagittæ iactum, Castrorum Tuorum munitioni admotis; producto ex industria paciscendi inter vtramquè Gentem negotio, moxquè interrupto; ac deinceps cum eà, quam ante proposuerat, ineundi Fæderis Normâ reassumpto, Pacem primus petijt, TV quoq; REGVM Prudentissime, magno animo

animo contemplatus, recentiquè memoriâ tenens; Regnan-
tium maxime egregios fines, quoties ignoscendo transigitur.
Conscijs quoq; sensûs, & votorum Senatûs, Populûq; Po-
loni; Bonoq; Publico, quam maximè intentus, maluisti se-
curitati, antequam vindictæ consulere. Atquè hæ sunt be-
ne, & sapienter Imperantium Artes; Consilio Res externas
moliri, Arma procul habere. Nam iuxta Politicorum Pru-
dentissimi Dogma; Sapientibus quietis, & Reipublicæ cura;
leuissimus quisquè, & futuri improuidus, spe vanâ tumens.
Haud quidquam profuit Hannibali, quanquam solerti, ani-
moso, fortunatoquè DVCI, Saguntinos inclementiùs
habitos, ad extrema deduxisse. Dedit & REX Bardanes im-
prudens Consilij pœnas; quòd cùm maximo Bello distine-
retur, in quo de totius Regni salute, Alea iacta vertebatur;
insuper & alio, quanquam non æquè graui cùm Seleucitis
Bello, implicari se passus fuerit, qui in eum tametsi dignas
vindicij offensas admisissent; differri nihilominus eas tan-
tisper, Remq; opportunâ dissimulatione componi interfue-
rat. Sed ille Irâ magis, quam ex vsu præsentis accensus; vi-
ribus distractis, Hostium vires, & victoriam auxit, Regnoq;
excidit. Pœnitet nunc & Hispaniam Consilij sui; quod
Philippus II. REX Catholicus, cum Belgis, aliquando iu-
sto acriùs egerit. Prouinciæ quippè, & Vrbes illæ longè feli-
ciùs, & pacatiùs effloruissent; sumptusquè illi immensi, in
Bella tot Annorum erogati, non Belgij tantùm, sed Asiæ
quoquè pretio suffecissent. Ita Hispani, qui ab ijs, quæ præ-
tendebant, ne digitum quidem recedere voluerant; conce-
dere nunc Decempedas, & integras Prouincias coguntur.
Parthorum quanta olim Potentia! quantum in prosperis fi-
ducia Ponderus! Eorum tamen Regi, qui rectè consultum
voluerant, salubria suaserè; vt nimirum non tam Armis,
quàm mutuis potiùs amicitia Officijs Romanos sibi concili-
aret; initaq; cum ijs societate, Res Dominijsui, tantò firmi-
ùs stabiliret. Vologessen melius Societate Romanâ, quam
damnis

